

# ORNATISSI-

MO VIRO, ANTONIO

*Olinario, Lumbariensium Antistiti*

*eximio, Antonius Mizaldus*

*Monlucianus*

*S.P.D.*



QVIDEM in ea  
semper fui senten-  
tia, ornatissime i-  
demque humanif-  
sime Antistes, vt fœ-  
lices eos existima-  
uerim, quibus per

fortunæ clementiam concessum est  
bene de se merentibus parem gra-  
tiam remetiri : fœlicissimos rursùm  
eos, quibus vt libet, ita licet accepta  
beneficia cum fœnore aliquo repen-  
dere. Quæ duo quum hætenus mihi  
deesse cognoscerem, & iugi medita-  
tione mecum repeterem, quantùm  
pietas tua in me, nihil tale promeri-  
tum, contulisset : circumspiceremque  
quonam modo significationem ali-  
quam, grati saltem & memoris animi

*A j*

## EPISTOLA

tibi exhiberem, neque in tanta fortunarum mearum tenuitate quidquam occurreret, quod vlla ex parte, non dicam tuis meritis, sed ne quidem animo meo, vel tantillum responderet: tandem visum fuit quosdam imitari homines, non rusticos, inquam (qui modò flosculo quopiam insigni, modò eleganti auicula, nunc caseolo, aliàs pisciculis, quandoque pomis & nucibus, aut alio simili simbolo, voluntatis suæ propensionem iis testificari solēt, quibus sunt obertati) sed plebeios & pauperculos: qui cum suis creditoribus ob rei familiaris angustiam soluendo esse non possint, sponsores illis vltro adducunt. In istorum itaque fragili nauicula cum vëto sinistro me quoq; hodie nauigare intelligerē, tantisper dum fortuna, imò verò Minerva blandiùs afflaret, meritorum erga me tuorum spōsores duos, *ÆSCVLAPIVM & VRANIAM*, tibi candidè proferre non sum veritus. Hos, nisi valde fallor, gratissimos habiturus es: vel ob id vnum, quòd illustrissimæ *OLIVARIORVM*

genti familiares semper fuerunt, ac dilecti. Si quando illos ante tuum conspectum, animi gratia, prodire patieris, de rebus cœli & medicinæ, fortassis non ineptè, colloqui obseruabis: atque ex mutuo eorū colloquio, harmoniam quæ humano corpori cum cœlis est communis, pro insigni tua eruditione facilè iudicabis: agnoscesque Dei Opt. Max. sapientiam, virtutem ac prouidentiam in utroque corpore, cœlesti, inquam, & humano, æqualem (vt noster habet Galenus) per omnia relucere. Vale doctissime atque humanissime Antistes, & Mizaldum tuum, siquidem dignum ducis, amare perge: tibi que persuade illum & studio, & officio, apud te cessurum nemini. Lutetiæ Parisiorum, pridie natalis B. Ioannis Baptistæ. 1555.

A ij

ORONTII FINAEI LVETETIAE  
Regii Mathematicarum professoris & illustrato-  
ris, in ἀνθοποιῶν ANTONII  
MIZALDI, ἀναφθίμα  
ad candidum Le-  
ctorem.

Quantumcūq; voles, Lector, mirare labores  
Herculis: est sanè quod magè suspiciam.  
Quantumcūq; voles, septem miracula mūdi  
Mirare: est sanè quod magè suspiciam.  
Quantūcunq; voles, hortos mirare superbos  
Hesperidū: est sanè quod magè suspiciam.  
Suspicio & miror nostro cū corpore, summis  
Quidquid inest cœlis nocte, dièq; geri.  
Suspicio & miror cœlos in corpore viuo  
Claudi: MIZALDO, si petis, artifice.  
Suspicio & miror suprema latère sub imis:  
Et contrà: paucis vt liber iste docet.  
Qui, si conciliat viuientia corpora cœlis;  
Nun menteis poterit conciliare sibi?

VIRESCIT VVLNERE  
VIRTVS.